



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

32. De duobus Ewaldis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

nec quid certius elucescat.

De translatione corporis S. Accę, de signis sanctitatis post mortem, consule Rogerium Houeden priore parte Annalium in principio, Molanum in natalibus SS. Belgij, Harpsfeldium sæculo octauo cap. 22.

## DISSERTATIO XXXII.

De duobus Ewaldis.



Thi eodem velo portum Wiltaburgensem subierunt secundum textum Marcellinianum eiusque sequaces. Reclamat verò Beda lib. 5 cap. 11. qui postquam enarrasset emissionem, profectioem duodecim ( Willibrordi & sociorum ) in Frisiam, eorum diuergium ad Pipinum, remissionem in Frisiam, subiungit; *Horum (Willibrordi, scilicet, sociorumque) secuti exempla duo quidam Presbyteri de natione Anglorum, qui in Hiberniam multo tempore pro aternâ patria exulauerant, venerunt in prouinciam antiquorum Saxonum si forte aliquos ibidem predicando Christo acquirere possent: vterq; vocabatur Ewaldus.* Hic separatim & distinctim numerantur à Willibrordo eiusque sodalibus, separata etiam eorum profectio, vt & actus: secuti narrantur exemplum Willibrordi eiusque sociorum; non ergo fuerunt inter illos duodecim, fuerunt præter illos, post illos venerunt attracti eorum præuio exemplo. Secundo, Venerunt in prouinciam antiquorum Saxonum id est Westphaliam, non Frisiam quò alij venerunt. Aliam prouinciam, aliud iter elegerunt. Nec apud Bedam in eorum actis aliquod vestigium communicationis cum Willibrordo apparet.

Ter



Tertio. Alios socios suæ professionis aut cooperatores habuerunt, inter quos vnus Tilmon Monachus intra Willibrordi collegium nusquam notus. Vide Bedam ibidem & Miram in Fastis Burgundicis & Belgicis 3. Octobris. Quarto. Quantum ex eodem Beda est colligere, Ewaldi primo ingressu in antiquam Saxoniam adeoque primo anno sui aduentus Martyrio affecti sunt; omnium verò consensu hoc accidit anno 693. vel 692; ergo non aduenerunt cum Willibrordo anno 690. Confirmatur. Quia socij S. Willibrordi eius exemplo non sunt profecti, sed simul cum ipso; instigatione, electione & directione S. Egberti iter inierunt. Beda ibidem.

Nostræ sententiæ est Trithemius in compendio Regum Franciæ, vbi agens de Clodouæo succedente Theodorico defuncto iuxta ipsum anno 693, pergit: *Quo anno ( primo Clodouæi, Christi 693. vel, si placet, 694 ) duo Ewaldi albus & niger monachi & Presbyteri venientes de Anglia in Saxoniam Martyrisantur.* Afferit primo anno Clodouæi & venisse ex Anglia & Martyrisatos; venerunt ergo post Willibrordum.

Adiuuat etiam hanc Walterus Roleuinck Author Historiæ dictæ Fasciculus temporum qui in Carthusia Coloniensi pietate & eruditione egit vltra annos quinquaginta multis scriptis famosus. Is in Fasciculo temporum aduentum Ewaldorum ex Anglia in westphaliam, & aduentum S. Willibrordi cum socijs in Frisiam, separatim, distinctis locis & tanquam duos diversos enumerat.

Idem plane sentit Nicolaus Harpsfeldius si attente legatur his verbis: *Præclarū Willibrordi in propagando Euangelio studio* (quo iā cū Wicberto in Frisia erat occupatus vt in precedentibus verbis legitur) *multi alij in exemplū traxerunt. Inter quos erāt Hēvaldi qui diu è patria in Sācta illa societate Willibrordi* (in



(in Hibernia scilicet sub Egberto è qua S. Willibrordus iã exierat in Frisiã) *voluntarie exules degebant. Pietate inde producti, Saxoniam adierunt &c.* post S. Willibrordum ergo eiusque commilitones profecti.

Textum Marcellini, qui maximum & fere vnicum est fulcrum aliter sentientium, nihil moramur: censemus enim, vt supra, non esse S. Marcellini, sed potius cuiusdam longè recentioris Pseudo-Marcellini qui specioso Sancti Marcellini titulo sua commenta venditavit. Timuit anguem in herba Doctissimus Molanus, dum ex dicto textu narrans, non affirmans, duos Ewaldos recenferi inter socios S. Willibrordi, adiungit: *Quamquam Beda narrare videatur eos postquam multo tempore in Hibernia pro aeterna patria exulauerant, secutos esse exempla duodecim primorum, scilicet Willibrordi & vndecim reliquorum.* Difficultatem videbat Molanus, & non ausus illum Marcellinum negare, causam in medio relinquit. Nec mirum; non enim ei propositum erat singulas SS. Historias exacte discutere, præcipuè studebat Natales SS. Belgij congerere & in certum ordinem redigere, quod felicissimè præstitit.

## DISSERTATIO XXXIII.

## De Wilibaldo &amp; Winibaldo.

**E**tiam Wilibaldus primus Episcopus Aichstaden-  
sis, & Germanus eius frater Winibaldus Abbas  
Heydenheimensis cum S. Willibrordo mare sul-  
cantes in Frisiam exscensionem fecerunt anno  
690. iuxta citatam Historiam S. Marcellino in-  
scriptam.

Verum personato illi Marcellino soccum & cothurnum

hic